…tophorus

Topiński Gaspari: Aeternus virtutum et meritorum splendor M. Christoph Sowiński.

ÆTERNUS VIRTVTVM & MERITORVM SPLENDOR,

Perillustris olim, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. CHRISTOPHORI SOWINSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, S. FLORIANI DECANI, Præpositi SS. OMNIUM, Cancellarij Posnanien: CURATI Prosov: Contubernij Philosoph: Provisoris S. R. M. SECRETARII.

IMMORTALITATI ASSERTVS.

Et dùm ei

Justa Funebria, in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ, Magno omnium Ordinum Academicorum dolore PERSOLVERENTUR.

In vim vltimi erga dignissimum Provisorem, & Patronum, obsequij.

A

M. GASPARO TOPINSKI

Philosophiæ Doctore & Professore, Contubernij Philosophorum Seniore

DEMONSTRATVS.

Anno Ortæ sub Carnea nube Increatæ Lucis 1699.

Die 10. Martij.

CRACOVIÆ Typis VNIVERSITATIS.

ÆTERNUS
Virtutum & Meritorum
SPLENDOR.

VItæ mortalis ad occaſum præceps curſus,
Intaminati Splendoris præludium eſt,
Et feralis vmbra, ſerenæ gloriæ exordium.
Legitima enim requirit ſequela, vt clarum ſequentis diei mane,
præoccupent alta prioris noctis Silentia,
quæ diſtingvunt inter genuinos & mutuatos ſplendores.
Nempe quoad vivimus, non dignoſcimur in turba,
Ceu minutiores in Olympo, cum majoribus mixti Aſteriſmi,
quorum confuſum in firmamento lumen, ſola nox pandit,
innubis dies non tàm obſcurat, quàm impedit viſum,
ne facilè diſcernat, aureum Cynoſuræ & Phocionis ſidus,
fulgidum ex maligno.
Vita hominum ſic affingit Velamenta ſibi
ac Timantis ingenium, dùm penicillo format picturas,
Vel Roſcius in Scena, dum fabulam agit.
Perſonas pro veris fictas accõmodat, & in theatro viſendas proponit,
dum modò plauſum capiat.
Multi, vt fabulam huiuſmodi tractarent politiùs
expoliverê ceu pumice ad publicam faciem mores,
intùs Thyeſteo crimine deformes.
Induêre purpuram Nerones, Fabricij, Heliogabali,
hanc tamen cruore taboq; humano, non verò meritorum murice tinctam
Mors ipſa oſtendit, poſtquam eos vitâ & purpurâ ſpoliavit
Et quòd gladios non radios, illa vibrabant fulgura
lingua poſterorum, & calamus tyrannorum vltor edocuit.
Purpuream Dictatoris Animam
inter aſtra relatam, non adulationis ſed æquitatis oculus advertit,
& ad notitiam poſteritati literis conſignavit.
Profectò mors ipſa fatetur, quanta ſit Magnorum Virorum jactura,
quàm

quàm luctuosus eorum occasus.
Metimur Splendoris Tui amplitudinem cælo provectam,
maximè ex hac sepulchrali vmbra
Perillustris olim, Clarissime, & Admodùm Reverende Domine,
D. M. CHRISTOPHORE SOWINSKI,
S. Thelogiæ Doctor & Professor.
nuper Te amantium, Corculum & delicium,
nunc grandis dolor & suspirium.
decempeda publici mæroris, ostendit Te sidus primæ magnitudinis
in hoc Septemtrionali Archiatenæo clarissimè fulsisse.
& jam liminibus luminibusq; nostris cum vehementi cordolio excesisse.
Attoniti suspicimus, & stupentibus similes hæremus.
Parcis minimè cuiquam parcentibus indignantes,
quòd Tibi longioris stamina vitæ non protenderunt.
O nimiam crudelis Proserpinæ ingluviem
ad optima edulia rigentem!
Verè exlex tyrannis, & insatiabilis heluo,
quæ Bacchanalia sua vivere non desinit, vbi omnes desinunt.
O Antropophagam, à corporibus humanis non abstinentem!
Evomuisti sævam rabiem, quasi post clausum Iani templum,
à Martis àcie ad Palladis arenam transiliens,
inter pacificas Laureas Apollinares
tristes Cupressos plantare velles;
Falleris nimiùm!
Etiam hæc area, nedùm Laurearum sed olearū gaudet plantatione.
Viret ecce vigetq; in æternitate temporum, fama rerum,
cui præmaturè, auram communem eripuisti,
& in ijsdem cineribus, quibus splendorē illius èxtinguere allaborabas,
perpetuos sibi accendit ignes.
Primas crescentis lucis faculas, ipsa Tibi indulsit Lucina,
cuius incunabulis ibi exceptus es,
vnde Magni Viri ad hoc Literarum Emporium
velut ex equo Trojano prodeunt.
Phosphorus Tibi fuerat ad augusta Musarum penetralia,
Viva illa omnigenæ eruditionis Bibliotheca, politioris
Literaturæ amussis, flos delibatus Latij suadæq; melioris medulla.

FLORIANVS LEPIECKI,
S. Theologiæ Doct: Romanus, Canonicus S. FLORIANI
Avunculus Tuus.

Hic ingenij Tui Lydius Lapis, indolem Tuam probavit,
& multis experimentis omnium honestissimarū Artium capacissimam judicavit.
nê verò dotes Tuas præclaras, vel hostis bonarum mentium torpor,
vel iners in privato delitescentia, aboleret:
in apricum Te suavi illicio traxit.
Quanquam Theopompum non Ephorum agens, stimulos omnes odisti,
Solo honesti ardore & pertinaci in recto, proposito,
æmulis gloriæ passibus insistens.
Rupisti serviles ignaviæ compedes & vincula,
vt securè metam honorum attingeres.
Appretiavit conamina Tua & sudores, Cracius Apollo,
ideò Victorem arduorum, binâ Laureâ redimivit.
Nondum tamen ex integro Authoramentum ab his
Te sumpsisse credebas, nisi eas novis sudorum gemmis ornares.
Monstra hominum & ejectamenta reputans,
quibus honor majoris desidiæ occasio est, & turpe veternum,
& quibus pro tormento labor, pro torculari, Cleanthis ad lucernam vigiliæ.
Tibi ab his lux præcipua, in omne sufficiens ævum.
Cui irrequies labor, & continua fatigatio, & seria ad functiones
publicas obeundas præparatio, Hyblâ omni Hymettoq;
suaviores extiterê.

Attollit gloriæ Tuæ fastigium
LUBRANSCIANUS Academiæ Posnanien: Helicon,
in quo dignum Musis opus, Cursum videlicet Philosophicum,
eximia cum dexteritate expedivisti.
Nec par defuit Tibi felicitas
in excolendis magnæ spei stirpibus & surculis,
quos ad columen Regni veros Tullios efformaveras.

FEDRORUM & CZARTORISCIORUM
Illustrissima Nomina,
Tibi Isocrati suo debent, quòd in Senatu & Comitijs,
rosas saluberrimorum consiliorum fundant.
At nequit sub cortina teneri & vno claudi Hemisphario
animus.

animus igne quodam volucris.
ideò & Tu ad raptum primi Mobilis,
in exoticas & alieno Sole calentes oras trajecisti,
non Phaëton, sed Phæbus.
Incaluerê credo erudita illa pectora
tecum eodem consortio & familiari consvetudine sociata.
Lovanium, Parisij, Roma,
Et si quæ alia Attica, Philosophis nobilioribus gaudet,
Tuam prudentiam, judicij sublimitatem,
temperatam affabilitate gravitatem, mirabantur.
Dictis pondus & momentum addit
Argus ille Centoculus & scientiarum Epitome
PHILIPPUS à SS. TRINITATE.
Generalis PP. Carmelitarũ Discalceatorum.
qui caput Tuum aurum optimum apud Togatam Gentem
laudavit, censuitq; congruum fore, vt Triumphatorem
ingeniorum, Victrix & Domina totius Orbis
Doctoralibus Theologici honoris Corymbis decoraret.
Dictum, Factum.
Verùm siste gradum Viator Regionum.
ecce Alma Parens Vniversitas ob excellentes Tuas dotes,
communibus suffragijs ad supremam D. Iagellonis Aulam Te vocat,
vt Domûs Majoris splendor sis, & Magnificentia.
Annuit votis: *per varios casus per tot discrimina rerum*
Redit ex Latio in Natale Solum.
haud ad otium, sed ad cumulanda merita & splendores.
Brevi enim Philosophantium factus Coriphæus.
nunquam ad Purpuram erubuisti, quia ex asse munus Decanale absolvisti.
Jn Cursu Vladislaviano nunquam stationarius,
cujus Vastitatem semel complexus, duplici biennio emensus es.
Clarus in explicando, subtilis in resolvendo, solidus in probando.
quæ tria perfectum decent Philosophum.
Culmen tenuisse videbatur eruditio omnibus absoluta numeris,
sed humilis de se sensus, medium fuisse gradum persuasit.
Ergo matura gressum, responde pro Loco inter Summos.
Scande super titulos & avitæ laudis honores.
Scandit ille satis superq; prosperè,
sed Tibi angustia vel ex eo est Calame;

 quòd

quòd incompto eloquio augustalia eius lustrare contendas,
Exere tamen vires, & dilata latifundia verborum,
qui Te Gratiarum fluentis irrigavit, dùm vixit.
Abyssus est, quod loqueris:
quia THOMÆ Doctoris Angelici, Cælestis Theosophia.
Hujus Tu juratus in verba Magistri Doctor,
Medullam omnem exsuxisti.
imò arcanorum mirabilium, quæ non licet homini loqui
totum pelagus, si absorberi potest, absorpsisti.
ex quo deinde Scaturientes Lymphas Altissimæ Scientiæ
quia de Deo:
cum Illius vnione Hypostatica derivari, vno propè Lustro
per revelata principia demonstrasti.
Vastum tandem hunc emensus Oceanum
ad Promontorium Bonæ Spei, & felicis Prædestinationis
Insulam, Pro fessionis Tuæ expandisti vela,
quam, vt piè credimus, attigisti.
Iam Augem meridiei spectate,
quotquot nec Ophtalmiâ laboratis, nec Lamiarum more,
in tenebris Epidaurio serpente, acutiùs, quàm in luce cernitis.
Auream Phæben in Plenilunio spectabitis;
cui Serenissimus AVGUSTUS II.
Poloniarum Rex Invictissimus
adauxit Claritudinem.
Eum enim Tu Sceptra Regni primitùs capessentem,
& Metropolim cum Proceribus ingredientem,
ipse felicissimus Sceptrorum Vniversitatis Moderator & RECTOR,
eâ dicendi suavitate & excellentiâ salutasti,
quæ Tantam decuit Maiestatem.
auctus ijs splendoribus, nihil tamen tumoris admittebas,
sed eandem animi constantiam, & æquanimitatem retinens,
in superiores non fucatam reverentiam, in pares jucundam
affabilitatem, in inferiores comitatem,
cum quadam tempestivi rigoris admixtione, servabas.
Innocentiâ & puritate vitæ exemplaris, ad regimen
honestum perspicax, Ordini bono attentus, & providus in cunctis,
Amicorum vsq; ad aras fidelissimus Amicus.

Vellicat præ cæteris aurem, pura in Deum pietas,
intemerata religio, & quæ homines immortalitati asserit,
munifica Liberalitas.
hæc Te ex erogato innocenti peculio, principaliter commendat,
quo, cùm alias Ædes, tum præcipuè CANTIANAS auxisti.
Studiorum Cultores, Academicæ Palladis militiæ adscripti,
Mecænatem Te & Augustum suum nôrunt.
in quorum gratis pectoribus, æternùm vives.
Beneficia enim non marcescunt vt flores, quæ duro adamante notavit gratitudo.
Volupe est profunda reminisci Veneratione
Gloriosissimam Celsissimi PRINCIPIS
& PRÆSULIS Nostri FASCIAM,
quæ Vniversitatem & Te eodem pænè copulavit nexu,
quando Te, Assessorem in Controversis Theologicis Casibus fecit,
& ceu Delphis Oraculum expectavit.
Hos ego Splendores tacitus dum intueor
fallor an Video
Mearum variari imaginem rerum?
Heu tristem Catastrophen!
Siccinè oculis nostris & amplexibus Te surripis iubar Clarissimum?
Siccinè pullo syrmate involveris Splendor noster?
Abijt excessit, sed non extinctus est,
quia debitum mortalitatis solvit.
Cinerem cineri, (die Cinerum) reddidit, terram terræ,
meliorem autem sui partem Empyreo transmisit.
Pandite ergo Portas, Principes & Incolæ Cæli,
vt sine omni obstaculo introëat in gloriam.
Fac illum adstitem Sedium Divinarum,
Poloni Lithaviq; cæli decus speciosissimum D. CASIMIRE,
inter cuius triumphalia, exuvias corporis deposuit defunctus,
post diuturnos ægritudinis conflictus & symptomata;
refrigerium animæ in Pane Angelico inveniens.
Rosas Tibi & manibus refert lilia plenis
ILLVSTRISSIME, ac REVERENDISSIME DOMINE,
D. STANISLAE à Słupow SZEMBEK,
Episcope Dionisiensis, Suffraganee, Canonice
& Generalis Officialis Cracoviensis, &c.
quòd candidus & gemmeus totus, in tesseram

 eximij

eximij in eum affectûs, extremis laborantem visitares, cujus ardores
& intensissimos cruciatus dulci ROSARUM Tuarum
fomento procul dubio mitigasses, si præcox
fatum, adventum Tuum, modicùm expectasset.
Tibi verò, cui verus dolor lancinat præcordia
Dimidium animæ viventis, fulgens in Coronato Vaveli vertice, Vnio
Perillustris, & Reverendissime Domine
D. PETRE ORLOWSKI,
Canonice Cathedralis Crac: Causarum Curiæ
Celsissimi PRÆSULIS Auditor, &c.
in lenimen justi mæroris relinquit,
quòd non in toto Tibi ereptus est, in Tuo corde vivens, vt olim fidus Achates.
Componit grave suspirium Tuum cum toto Senatu Academico,
Magnifice, Perillustris, & Reverendissime Domine,
J. V. Doctor & Professor, Ecclesiarum, Cathedralis
Crac: Collegiatæ Vielunensis, Canonice, SS. OO. Archidiacone,
Studij Almæ Vniversitatis Crac: Procancellarie, Scholarum
Novodvorscian: Provisor, Generalis & Vigilantissime RECTOR,
cui vt superstes, ita post fata auspicatissimum regimen precatur ab eo,
qui sortes & fata Imperiorum gubernat DEVS.
Nec à Vestro divellitur amore, qui totus animo intra Vos latebat,
Perillustres, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,
DD. EXECVTORES,
Vobis, vt Vivens mentem explicuit,
ita moriens vltimam Voluntatem resignavit.
hæc Vobis ex Sarcophago promit vota, vt Pylios viventes annos, in Capitolio
immortalis famæ ijsdem fulgeatis honoribus, quibus, in meritis fulget.
Hîc pro votorum Coronide.
Tibi inter hodiernos parentales lessus,
Indulgentissimo Patri & Provisori,
Clientes, & Contubernij Philosophorum Alumni,
quos Tu præsenti ope, Paterno sinu, interruptis
per tres Olympiadas, fovisti beneficijs,
ad Vrnam cordiale appendunt Anathema,
vt in splendoribus Sanctorum, radiatam recipias
ÆTERNÆ GLORIÆ CORONAM.

Permissu, Magnifici Domini
RECTORIS.